



*3, 125
2067
1769, 11
23*

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
IVRE CREDITORIS *MVTATA*
RE OPPIGNORATA

QVAM
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO WALCHIO

IVR. DOCTOR. ET PANDECT. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
CVRIAE PROVINC. SAXON. COMMVNIS SCABINOR. COLLEGII ET
IVRISCONS. ORDINIS ADSESSORE HVISQVE H. T. DECANO SOCIET.
LATIN. IENENSIS EPHORO ET FLORENTINAE COLVMBARIAE
DVISBVRG. AC BREMENS. LITTER. COLLEGA

D. XXIII. SEPT. CICIOCCCLXVIII.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R

FRIDERICVS CAROLVS ADOLPHVS TRVTSCHLER
EQVES SAXO-ELECTORAL.

I E N A E
L I T T E R I S S T R A V S S I A N I S.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
IARII CREDITORIS
RE OREGONORUM

PARISIENSIS
CARTOGRAPHICAE

EX LIBRIS OF THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

PARISIENSIS
CARTOGRAPHICAE

EX LIBRIS OF THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN

PARISIENSIS
CARTOGRAPHICAE

EX LIBRIS OF THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN
THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN



DISSSERTATIO IURIDICA
DE
IVRE CREDITORIS MVTATA
RE OPPIGNORATA

§. I.

Itane MARCIANE inter pignus et hypothecam nihil differre putas nisi vocis sonum? saltem ita ipse ICTus scriperat a). Placer profecto *Glossa* interpretis Marciani PLATNERIB) qui ad ea legis verba notat: *id intelligendum est, de Marciani tempore non de iure veteri*. Profecto, num recta sit; an recte scripserit Marcianus ex hac *Glossa* nemo intelliget. Quid enim iure veteri?

A 2

a) in L. 5. D. de pignorib. et hypoth. b) de formul. hypoth. Diff. II.
P. XXVIII.



ri? de quo veteri iure intelligi vult Vir Doct. Ita sane ego eumdem non defendarem MARCIANVM, qui sub Antonino Caracalla Imperatore iuris artem profiteri cooperat ob auctoritatem VLPIANI qui prope ipsi coaeuus, imo forsan iunior fuit, et qui de suo tamen tempore adfirmauerat, differre adhuc pignus et hypothecam, ut Marciani aetate et Vlpiani idem valebat, quod veteri iure. Nam ait ICTUS ^{c)}, *proprie PIGNVS dicimus, quod ad creditorem transit: HYPOTHECAM, cum non transit nec possessio ad creditorem.* Neque tamen errare arbitror ipsum MARCIANVM. Tractat enim in eo libro, ex quo fragmentum desumtum est, de formula hypothecaria. Iam vero formula interdum denotat exemplaria, ad quae contractus caute celebrandi, quales forsan fuere *formulae rerum venalium vendendorum Ministrorum*. Haud raro et quam saepius *formulae* ipsas *actiones* indicant, cum omnes antiquitus actiones in foro Romano per solenniter conceptas formulas instituebantur, quae quondam inter arcana ICTORUM atque Pontificum Patriciorum custodiebantur, donec eas simul Flavius scriba publici iuris inuitis patribus faceret, quae dein licet et nouae conceptae forsan et notis scriptae diu inter arcana esse non poterant, a quo tempore Tib. Corrunianus publice iura traderet, atque quemlibet ad discendum admitteret. Formula itaque hypothecaria nihil erit aliud, quam formula ex Edicto Praetoris de hypothecaria conventione concepta, qua creditor agebat contrarei hypothecae nomine obligatae possessorem, quae si ad oppignoratam rem applicabatur, non nisi vocis sono differre poterat.

§. II.

Rekte vero ipsam Edicti formulam desideramus in Pandectis, ut bene monet GERH. NOODT ^{d)} qui restituere qualiter potuit non infeliciter hanc formulam annis us est: *quod quis*

^{c)} in L. 9. §. 2. D. de pignorat. ^{d)} ad Pand. L. xx. tit. i. action.

❀ ❁ ❂ ❃

QVIS SIBI PRO PECVNIA DEBITA PIGNORI HYPOTHECAE OBLIGATVM ESSE DICET, QVOD DE EO CONVENIT CVM EO, CVIS IN BONIS ERAT, NISI ARBITRIO IUDICIS EI RESTITVATVR, ADVERSVS EVM, QVI EAM POSSIDEBIT, QVANTI EA RES ERIT, IUDICIVM DABO. Haec actio haecque Edicti formula eo magis necessaria, quod ex contractu pignoris non minus quam ex nuda conventione hypothecae actio contra tertium possessorum non daretur veteri iure, quippe nec nuda traditio pignoris, nec nuda conuentio eam producere posset, cum Romani ad hunc effectum magis *contractum fiduciae* celebrarent, in quo interueniente mancipazione per aes et libram ius in re transibat in creditorem, ita ut rem a quoconque possessore vindicare posset. Exposuit satis hunc contractum fiduciae ipse NOOTDE^e, et SCHYLTING f). In Digestis sane nihil mentionis deprehenditur contractus fiduciae, quamvis ipse SCHYLTING, et alii ostendant tempore Constantini M. et forsan Theodosii adhuc celebratum fuisse; causam quaerunt in eo, quod Justinianus Imperator differentiam inter res mancipi et nec mancipi sustulerit. Cedo! at non dubito magnam causam et fuisse in ipsa Praetoris Edicti formula. Cum enim Praetor actionem et iudicium promitteret contra tertium possessorem ex nuda conventione, quis vñquam ceremoniis ita adscriptus fuisse, ut quod breviori via potuisset, obtinere noluisset. In desuetudinem tandem abiisse puto, quare abrogatis amplius rerum mancipacionibus in utilia videbantur compilatoribus Paudectarum ea capita in scriptis veterum ICTORUM, quae fiduciae contractum continebant.

§. III.

At vero tacita illa hypotheca antiquior conuentionali fuisse videtur. Non hic de pignore, quippe iam antiquiori

A 3

tem-

e) obseru. L. II. cap. VII. et VIII. f) ad Pauli Recept. sentent. L. II.
Tit. XIII. not. 1.



tempore non tantum conuentione constitutum fuit, sed toties etiam Praetor ad suam tuendam iurisdictionem pignorum capionibus usus fuit. De hypotheca itaque dicimus, eam ex edicto fuisse antiquorem conuentionali seu pacto Praetorio. Nam prima Edicti Parte ipsa Seruiana originem cepit, quae domino praedii rustici in illata coloni ius concessit ratione mercedis. Quis ille *Seruius*, id plerumque ignoramus, saltem liquido probari nequit Seruum Sulpicium Ictum huius Edicti auctorem esse, quanquam *HEINECCIVS* g) eundem Ictum Seruum auctorem nominet, nulla addita alia probatio, quae mihi nulla est; quam quod *Praetor* fuerit. Caeterum negari non potest, iam Serui et ipsius Ciceronis aetate hypothecarum iura nota et visitata fuisse. Patet praeципue ex *CICERONE* b) qui et Thermum Propraetorem sic scripsit: *Praeterea Philetos Alabandensis ὑποθήκας Cluio dedit, haec commissae sunt. Velim cures, ut aut de hypothecis decedat easque procuratoribus Cluui tradat: aut pecuniam soluat.* Caeterum sit auctor quisquis sit, videtur, quod de tacto pignore Seruiana concepta, ad reliquas species per extensionem et interpretationem extensa illa actio, unde vel *hypothecariae* in genere nomen obtinuit, vel etiam *quasi Seruianae*, quippe ad illius formulam concepta fuit. Exinde tamen nolim probare, obligationem hypothecae seu pacti illius Praetorii per interpretationem originem coepisse, quod non est, quippe ipsius Edicti formula confirmatum fuit pactum Praetorium; sed hoc adfirmamus tantum de actione ex nominis ratione arguento ducto.

§, III.

Vindicamus itaque hypothecaria actione res nobis obligatas vel iure pignoris vel iure hypothecae easque a tertio possesso. Neque confundenda haec aetio vel cum ea, quae ex

g) in *Antiquit. Iur.* IV. 6. §. 29. b) in *Epist. ad Divers. L.* XIII. ep. 56.

❀ ❀ ❀

7

ex principali obligatione oritur, vel cum pignoratitia, quae
soluto debiti nexus originem capit. Fac Titio debere Caium tre-
centa ex mutuo oppignorata vel hypothece nomine obligata
in crediti securitatem insula. Conditione certi ex mutuo con-
ueniet Caium ad trecenta soluenda. At vero si nolit conuenire,
quod se fatis securum censeat pignore sibi constituto, tertius
vero quis eam insulam possidat quo ipse Titius eam iam
possidere posset, et ni soluerit debitum. Caius, iusto dein
vendere pretio, contra tertium hunc agat hypothecaria. Tan-
dem singe, soluisse trecenta illa Caium Titio creditor, hunc
vero insulam, cuius ex rei obligatione possessionem naeius
fuerat, adhuc retinere nec restituere licet debito soluto, recte
Caius experiatur pignoratitia actione quo rem antea obliga-
tam, iam solutione facta liberatam, reciperet.

S. V.

De rebus adhuc videndum, cum aliae corporales aliae
incorporales, corporalium vero aliae fungibles, aliae
non fungibles, quae pignoris hypothecaeue nexus obligari
queant, **GAIVS** i) regulas videtur efformasse, II) vt sint in bo-
nis II) vt emi vendique possint. Sic enim scribit: *Sed et*
quod ad eas res quas eo tempore, quo paciscebatur, IN BONIS
HABVIT, idem obseruari debet. Quod emitionem venditionem-
que recipit, etiam pignorationem recipere potest. Sed admo-
dum generales sunt, nec quaestiones in suis speciebus defi-
nunt. De incorporalibus ergo primum dicamus. Ostendit
MARCIANVS k), vsum fructum pignori hypothecaeue dari
posse, simulque ad **PAPINIANI** auctoritatem prouocat. Hinc
adfirmat, si propriarius negatoriam contra creditorem infi-
tuat, praetorem creditorem exceptione tueri. **PAVLVS** l) quaesi-
tionem de seruitutibus rusticis mouet. Ait: *Sed an viae, iti-*
neris, actus, aquae ductus pignoris conuentio locum habeat,
viden-

i) in L. 9. D. de pign. et hypoth.
potest. k) in L. 11. §. 2. D. de pign. et hy-
poth. l) in L. 12. cod.



videndum esse Pomponius ait: *vt talis paſſio ſiat, vt quādū pecunia ſoluta non ſit, eis ſeruitutib⁹ creditorūtatur; ſcīlicet, ſi vicinum fundum habeat: et ſi intra diem certum pecunia ſoluta non ſit, vendere eas vicino liceat: quae ſententia propter utilitatem contrahentium admittenda eſt.* Neque dubium videtur ex ratione pignorum atque hypothecarum, quae primario conſiftit in ſecuritate creditori praefanda ob debitum, actiones atque obligationes tanquam res incorpo rales pignoris vel hypothecae iure obligari poſſe. Si enim ex actione vel alio iure incorporali creditori ſecuritas curari poſteſt, poſteſt obiectum pignoris vel hypothecae eſt. At hoc ſingulare eſt, quod MARCIANVS m) neget, *iura praediorum urbanorum pignori dari poſſe* et concludat: *igitur nec conuenire poſſunt, vt hypothecae ſint.* Non vterer argumen to DVARENIN), quod praedio deberentur, a quo diuelli aut ſepa rari non poſſent. Idem enim argumentum valeret in ſeruitutib⁹ praediorum rusticorum. Sed forſan MARCIANVS ad ipsas urbanas reſpexit ſeruitutes. Si enim plerasque eas in tuemur, ita ſunt comparatae, *vt haud utilitatem vel necessitatēm praefent, ſed ſola prope voluptate emetiantur et com moditate, de qua re egregie egit GERH. NOODT o).* Sic fi prospēctum, ſeruitutem altius tollendi, tigni immittendī caet. capimus, in plerisque ipſe NOODT monſtrauit, quantum ad commoditatem vel voluptatem his viſi fuerint Romani. Si itaque haec, *vt ſunt, vera ſunt, quam in illa ſeruite ſecuritatem habeat creditor?* Exiguam vel plane nullam. Sed haec *vt parergon.*

§. VI.

Iam de rebus corporalibus adhuc quaedam. Has in fungibiles et non fungibiles diuiferunt. De non fungibili bus

m) in L. II. §. f. D. de pign. et hy. potbecis.

n) Disput. I. cap. 13.
o) in Probabil. L. I. c. 2. et 3.

❀ ❀ ❀

9

bus rebus, quod possint pignoris et hypothecae obiectum esse, nulla dubitatio supereft, quippe vbiunque in legibus obvia sunt exempla. Sed infra, vbi de forma et materia agendum, plura. Iam de fungibilibus rebus quaefio insti-
tuenda. Dubitari profecto posset vtique, an fungibles res, quae vtendo consumuntur, creditori securitatem vere pre-
sentent, vt in his vel pignus creditoris vel hypotheca constituatur. Quanta enim securitas, si debitor vt in hypotheca maxi-
me rem fungibilem possideat, eaque vtatur consumendo? Dein si debitor antichrisfin creditori constituturus sit in pigno-
rata re vel hypothecata, nunquam hoc fieri posset in re pigno-
rata fungibili, quippe ex antichrifi vtendo consumerentur.
At vero sicut in pignore securitatis crediti tantum ratio habe-
tur, neque antichrisis ad substantiam pignoris pertinet, pu-
to vtique illam rerum corporalium diuisionem in fungibles
et non fungibles non attendi posse. Nam pignoris ius vel
hypothecae exercet creditor, vt si suum a debitore consequi
non possit, consequatur ex re oppignorata vel hypothecata.
Id vero recte efficiet, sit fungibilis, sit non fungibilis; ex
ea enim distracta re recte suum consequitur creditor. Ne-
que obstat, quod cum debitor in hypotheca possessionem rei
obligatae retineat, ipse si fungibilis res sit, abuti possit i. e.
vtendo consumere. Sed facti haec exceptio magis est, quam
iuris. Eo enim, quod alteri in fungibili re constituerit hy-
pothecam, consentit in hoc, ne abutendo absimmat, quo
alter securitatem habeat crediti sui. Sicut vero haec ex se
certa, ne tamen ex solis argumentis rem conficiamus, adhuc
probationem ex Legibus dabimus. Sic SCAEVOLA p) pecu-
niam rem sine dubio fungibilem obiectum pignoris notat.
Ita scribit: *Creditor pignori accepit a debitore, quicquid in
bonis habet, habiturus esset; quaesitum est, an corpora PE-
CUNIAE, quam idem debitor ab alio mutuam accepit, cum in*

p) in L. 34. §. 2. de pignor. et hypoth.

B



*in bonis eius facta sint, obligata creditori, pignoris esse coepi-
perint, respondit coepisse.* Dein GAIUS q): *Et quae non-
dum sunt, futura tamen sunt, hypothecae dari possunt: ut
FRVCTVS PENDENTES, partus ancillae, fetus pecorum, et
ea, quae nascuntur, sint hypothecae obligata: idque seruan-
dum est: siue dominus fundi conuenierit aut de usu fructu, aut
de his, quae nascuntur; siue is qui usum fructum habet: sicut
Iulianus scribit. Quis vero negat fructus referendos esse
inter res, quae viu consumuntur. Verior ergo videtur,
quam supra dedimus opinionem, in pignoribus et hypothe-
cis tantum respici ad res, quae in bonis nostris vel sunt, vel
esse possunt, nulla obseruata distinctione, an sint corporales,
an incorporales, an fungibles an non fungibles.*

§. VII.

Vidi interdum eruditos, qui putent pignus tantum de rebus mobilibus dici, hypothecam contra de rebus immobiliis. Videamus an bene. Sane si GAIUS r) audio, adfir-
mat *fructus pendentes hypothecae dari posse.* Iam fructus pen-
dentes rebus mobilibus sine dubio adscribendi. Sed et im-
mobiles res pignori dari posse, docet SCAEVOLA s) scribit:
*Lex vestigali fundo dicta erat, ut, si post certum temporis
vestigal, solutum non esset, is fundus ad dominum redeat.*
*Postea is fundus a possessore PIGNORI datus est, quasitum est,
an recte pignori datus est. Respondit, si pecunia intercessit,
pignus esse.* Evidem interdum ob eundem effectum pigno-
ris et hypothecae voces commiscentur, tamen apud SCAE-
VOLAM proprium pignoris significatum adhibendum ex ver-
bis patet, quod *fundus a possessore pignori datus dicatur.* Sed
vix hic quidquam dubii.

§. VIII.

q) in L. 15. pr. D. eod.

s) in L. 31. D. de pign. et hypoth.

r) c. l.



ii

§. VIII.

Caeterum utrumque et pignus et hypotheca in eum constituitur finem, ut in re pignorata non minus; quam hypothecata securitatem habeat ratione crediti. Poterit ergo si suum consequi nequeat, in hypothecae iure agere, ut hypothecam rem possideat, et ni tunc satisfactio sequatur, rem ipsam vendere et ex pretio iusto sibi solutionem quaerere queat, restituto debitori eo, quod amplius est in pretio quam in debito. Omnis ergo nexus omnisque obligatio in pignore patiter ac in hypotheca ipsam rem adficit. Non quidem negamus, principalem obligationem, cui pignoris vel hypothecae obligatio accerferat, posse personam tantum adficere: hoc vero nihil in obligatione reali pignoris et hypothecae mutat. Dabimus Titium Seio debere trecenta vel ex mutuo vel ex emto residuum pretium, eique pignora praeterea vel hypothecas dedisse, primaria obligatio ex mutuo vel ex emto mere personalis erit, ad pignorum et hypothecarum nexus res oppignoratas adficiet. Inde est, quod quae ad rerum oppignoratarum et hypothecatarum possessionem consequentiam data est a Praetore actio hypothecaria, non detur contra eum, qui personaliter nobis obligatus est, sed contra tertium rerum obligatarum et nexarum possessorem.

§. VIII.

Iam vero si ipsa res, quae vel pignori vel hypothecae data est obligata sit, quaestio oritur, si res illa pignorata hypothecatae immutationem patiatur, an salua illa nibilominus maneat obligatio. Evidem si de proprietate rerum eaque iuris in re specie, quae dominium conficit, quaestio oritur, varia habent iura. Interdum enim plus tribuant formae, interdum plus materiae. Si enim ea, quae de specificatione disputatione veteres accurate tractamus, patet, veteres ICTos admodum in causis illis decidendis dissensisse, donec Imperator

B 2



tor Iustinianus ambages illas deciderit. Eam enim format regulam, ut *materia* potior habeatur, si ad pristinam ruditatem reduci possit *materia*, contra potior habeatur *forma*, si ad pristinam ruditatem atque priorem formam *materia* reduci non possit. Fac ergo te ex alieno argento scyphos confecisse, reduci destructa forma ad priorem maslam poterit argentum, faluum ergo domino materiae ius suum seu dominium argenti manet. Contra vero dabimus, te ex alienis vuis ope torcularis vinum exprefisse, vini tu dominus eris, cum in priores vuas reduci nequeat vinum. Ita sane varia sunt iura in his quaestioneibus circa dominium. Videamus itaque, an in alia specie iuris in re, pignoris scilicet et hypothecae iura etiam diuersa statuant, et an mutata re oppignorata in aliam formam ius creditoris expiret; nec ne, sicut interdum ex forma mutata dominium prioris domini expiret.

§. X.

In hac quaestione decidenda leges ante omnia consulendae sunt, et his perlustratis denum quae obstatre videntur remouebimus. MARCIANVS t) omnem controversam causam decidere videtur. Scribit: *Si res hypothecae data, postea mutantata fuerit: aeque hypothecaria actio competit, veluti de domo data hypothecae, et horto facta.* Item si de loco conuenit et domus facta sit, item de loco dato deinde vineis in eo positis. Verba adeo clara atque dispositiua esse videntur, vt vix quidquam sit, quod contra monendum videatur, at si accurrius quaestione formemus, varia separanda videntur themata, et in singulis dein decisio vel ex applicata lege danda, vel alia ratio petenda. Videndum enim an in omni rei oppignoratae mutatione idem obtinet, quod MARCIANVS v) de rebus hypothecae datis adfirmavit et an in omnibus hypothecatis obtineat.

§. XI.

t) in L. 16. §. 2. D. de pign. et hypoth. v) c. l.

Varia de his quaestionebus notauit EDM. MERILLIUS ^{x)}. Separatim singulas causas tractabimus. Patet ex loco Marcianni, sermonem tantum esse de mutatione, quae in superficie contingit. Exemplum quod dedit ex solo petitus est, quod hypothecae iure obligatum atque nexum erat, cuius superficies imposita mutationem subiit. Diruta enim domus erat eiusque loco hortus in eo solo plantatus. Adfirmsat non immutatum esse hac immutatione hypothecae ius, sed creditori saluum manere. Ratio si reddenda, facilima est. Hypotheca enim primario ipsum solum adficiebat. Quare superficies eodem quidem nexu obligata erat, sed ex accessionis iure, quippe et in hoc accessorum scilicet superficies sequebatur principale solum. Inde deducitur, licet superficies, quae prius exitit, quaeque hypothecae iure obligata, mutetur, et sic mutata, cesser, solum tamen obligatum est, hoc non patitur mutationem. Si ergo alia superimponatur superficies, manebit creditori saluum hypothecae ius, quippe accessionis iure noua superficies obligabitur. Ut probemus rationem hanc veram utique esse, provocandus est PAVLVS ^{y)}. Scribit: *Domus pignori data et area eius tenebitur; Est enim pars eius. Et contra ius soli sequetur aedificium.* Domus pars vna, altera area dicitur. Et cum domus sine area concipi haud possit. Si domus oppignorata vel hypothecata cum eius pars principalis area sit, oppignorata simul censetur, cum domus oppignorata sine area esse non possit. Inde forsitan LABEO ^{z)} statuit: si insula, quam tibi ex pacto conuenio licuit vendere (licet vero, si hypothecae vel pignoris ius, in ea creditori constitutum, atque debitor creditoris haut faciat satis) combusta est, deinde a debitore suo restituta, idem in noua insula, (seu aedificio quod liberum circuitum habet,) iuris habes. Nisi ergo principalem partem adfecisset pigno-

B 3 ris

^{x)} in observat. lib. 1111. cap. 19. ^{y)} in L. 21. D. de pignor. act.

^{z)} in L. 35. D. de pign. et hypoth.



ris ius, scilicet aream, noua illa imposita insula eodem iure
haud nexa fuisset. Hanc sententiam suffulcit quoque PAVL-
LVS a) in subtili, quod de hac quaestione dedit responso.
Ipsum audiamus Paulum. *Demus pignori data exusta est,*
camque aream emit Lucius Titius et extruxit: quae situm
est de iure pignoris Paulus respondit pignoris persecutionem
perseverare: et ideo ius soli superficiem secutam videri, id est,
cum iure pignoris: sed bona fide possessores non aliter cogendos
*creditoribus aedificium restituere, quam sumtus in exstruc-
tione erogatos, quatenus pretiosior res facta est, recipent. Pi-*
gnoris ergo ius in area manet, ut noua accidente superficie
et haec obligetur. Sed elegantissima PAVLLI est obseruatio,
quam responso adiecerat. Sit Titus creditor, cui Meius
ob debitum fundum in pignus dederat. Fundi pretium sint
quatuor millia. Exustum est hoc praedium oppignoratum,
remanet pignoris ius Titio creditori in area. Vendit debtor
*aream illam, quam Lucius emit inque ea area nouum ex-
struit aedificium, quod cum perfectum, aestimatur sex millia.*
Vendit illa facta creditori quidem non nocebat, quippe pi-
*gnoris ius in area remanserat; et cum a novo possessore em-
tore videlicet Titio huic oppignoratae areae nouum impone-
retur aedificium, hoc quoque pignori obligatum erat. De-
bitore non soluente Titus creditor pignus persequitur actio-
ne hypothecaria, nec dubitandum, cum creditori saluum*
*permanferit ius, tertium possessorem teneri ad fundum tra-
dendum creditori ut ex eo suum consequi possit. Sed hic cau-
tionem addit PAVLLVS, tertium illum possessorem non prius*
cogendum esse ad fundum creditori tradendum, quam si
sumtus meliorationis consecutus sit tertius possessor. Iam
vero fundi pretium cum oppignoraretur, quatuor millia erant,
restituti vero fundi pretium sex millia, sine dubio creditor
tertio possessori duo millia, restituat, quippe his duobus
millibus melioratus fundus constitutum pignus excedit, quo
soluto

a) in L. 29. §. 2. D de pign. et hypotb.

soluto quasiindeennis praestatur tertius possessor, qui quod bona fide possederat vtiique meliorationes repetere poterit.

§. XII.

Ad Marcianum redimus. Rationem traclauimus haec-
nus, ex qua adfirmauerat superficie mutata, pignoris ius sal-
tum manere. Deduximus nouae superficiei obligationem
ex area vel solo. Inde et ipse Marcianus amplius pergit,
loco vel area obligata, si postea vinea imponatur, hanc quo-
que obligatam fore iure pignoris, quo nostra confirmari vi-
detur ratio. Sed noua hic oritur quaestio, vtrum quid inter-
fit, si haec superficie immutatio fiat consensu creditoris, vel si
ignorante eo suscipiat? Plane dubitari nequit, haec omnia
quaes diximus recte se habere, si inscio creditore immutatio
superficiei suscepta fuerit. Iam vero dabimus insulam tanquam
pignus a creditore possideri, debitorem vero insulam in hor-
um immutare consentiente creditore, qui possessionem pi-
gnoris debitori concedit, quo superficiem immutare possit:
quaeritur: an et hac specie creditori saluum ius sit. Distin-
guendum erit, vtrum a creditore eo animo reddatur pignus
debitori, vt liberum amplius sit a pignoris iure Dd. *tacitam*
remissionem vocant, et dubitandum non est, si postea immu-
tetur superficies, creditori amplius ius superesse non posse.
Concludimus hoc tuto ex rescripto DIOCLETIANI ET MAXI-
MIANI b). Si enim ex solius instrumenti, quo pignoris ius
constitutum fuerat, redditione pignoris remissio deducitur,
quidni iudicemus, redditia re oppignorata multo magis re-
missum esse pignus debere, maxime si ex circumpositis cau-
sis appareat, remittendi animo redditum fuisse. Sed sicut
omnia pendent ab intentione creditoris, qua reddat rem op-
pignoratam, sequitur, si ea solum intentione reddat debitori
vt superficiem tantum mutet, cum rei obligatio simul, adfi-
ciat

b) in L. 7. C. de remiss. pign.



ciat solum, in quo pignoris ius habet simul, ex ea pignoris redditione remissionem nunquam statuendam: imo potius ex Marciani sententia creditor ius saluum ius permanere.

§. XIII.

Sed si superficies solum oppignoratur, omnes superficie partes oppignoratae simul censentur, non vero pignus saluum erit creditor, si immutatio quaedam in parte aliqua contingat noua exinde specie producta. Exemplum est apud PAVLLVM c). Scribit: *Si quis cauerit, ut silua sibi pignori esset: nauem ex ea materia factam non esse pignoris,* Cassius ait: *quia aliud sit materia, aliud nauis, et ideo nominatum in dando pignore adiciendum esse ait* QVAEVE EX SILVA FACTA NATAVE SINT. Species, quae in hac lege laterit, haec est. Creditor quo sua securitati prospiceret, efficerat, vt a debitore pignoris ius in Silua debitoris propria obtineret. Debitor cum caedua esset, arbores caedit, neque dubitandum in his arboribus caesis, cum sylva oppignorata arbores simul oppignoratae sint creditor ius pignoris saluum esse. Iam si debitor ex his arboribus caesis nauem conficiat, quaerebatur, an nauis quoque pignori obligata sit. Negat Paulus ex auctoritate Cassii ICti, qui sua sententiae hanc dererat rationem, quod aliud sit materia, aliud nauis. Huius vero rationis ea vis est, quod materiae pignus nouam ex materia productam formam haud adficat. Argumentum vero hoc petendum ex materia specificationis, de qua mox plura. Patet saltem ex hoc exemplo regulam illam, quam MARCIANVS generalem fecisse videbatur speciale tantum esse nec in omni pignoratae rei mutatione creditor ius saluum permanere ius. Concludimus potius ex hac lege, si ipsa materia mutationem passa, noua scilicet ex ea producta forma, cessare creditoris ius. Arbores quidem tanquam materia consideratae vt superficie pars securum adhuc reddebat credito-

c) in L. 18. §. 3. D. de pignor. action.

rem qui in iis tanquam filiae partibus pignoris ius habebat, sed si ex his arboribus oppignoratis tanquam materia noua forma producta erat, videlicet nauis, creditor ius pignoris non competebat.

S. XIII.

Ex hac vero specie, quae priori regulae exceptionem parit, facile ad alia themata concludere possimus. Exemplis ipsam rem tractabimus. Sit vindemia oppignorata, vuae necessario oppignoratae censendae sunt, quippe in his absolvitur vindemia. EDMUND. MERILLIVS d) quaestionem proposuit, si ex his vuis debitor multum expresserit, an etiam creditor i saluum sit pignoris ius in musto? Negat multum oppignoratum esse, si ignorans fecerit, prouocans ad auctoritatem PAVLLI e). Scriperat: *Si quis ex suis meis mustum fecerit, vel ex oliuis oleum, vel ex lana vestimenta, cum sciret haec aliena esse: utriusque nomine ad exhibendum actione tenebitur, quia quod ex re nostra sit, nostrum esse verius est.* Concludit itaque MERILLIVS si is conueniat ad exhibendum, qui nouam produxit sciens rem esse alienam, speciem, ergo non conueniens est actione ad exhibendum, qui ignorans nouam ex re aliena produxit speciem. Sed iam desunt argumenta, quibus a dominii ratione ad pignoris ius concluditur. Nam vendito fundo oppignorato, nemo emtori dominium post rei traditionem negabit, et nihilominus creditor i saluum ius est pignoris, quod persequitur actione hypothecaria, qua instituta non queritur, an possessor sit dominus; nec ne, sed an res oppignorata sit et tempore oppignorationis fuerit in bonis. Nihil ergo mihi probare videtur lex allegata. Dein cautius in

d) cit. loc.

e) in L. 12, §. 3. D. ad exhibenda.



in hac ipsa specie a PAVLLO tractata, quam et CAIVS f) exhibuit, iudicandum, cum ex veteri iure in specificatione amplissima esset controvressia, quippe Proculus eiusque sectatores speciei plus tribuebant; quam materiae, cum contra Sabinus et Cassius eiusque affectae plus materiae tribuerent quam nouae formae, quod eleganter docuit MASCOVIVS g). Herciscundi fluctabant, quippe interdum Proculi interdum Sabini rationem applicabant, et videtur PAVLLVS h) in contraria specie Proculum secutus. Hinc demum IVSTINIANVS i) medianam quoque sententiam amplectitur scilicet, vt praferatur materia, ex qua noua producta forma, si ad pristinam et primam ruditatem reduci possit, approbatu Sabini arguento, contra vt potior sit noua forma seu species, si reduci nequeat, approbatu Proculianorum rationibus, quae in his posita, quia quod factum est, antea nullius fuisset et mutata forma prope interimeret substantiam obseruante MASCOVIO k). Iam vero quid obstat, quo minus in proposita quaestione consentiamus cum MERILLIO arguento vero non ex Paullo ducto, sed ex ratione Proculianorum a Iustiniano approbata. Sic itaque iudico. Si noua illa producta forma atque species, quae ad primam ruditatem reduci nequit antea non extitisse videtur, et ipsam materiam quasi interimit, et sic nouiter productum corpus habendum, sequitur, immutatione materiae in nouam formam cessare materiam, sicut cum materia in ea existentia iura et obligationes. Cum iam vero mustum expresum ex vuis eam continet speciem, quae reduci ad pristinam materiam scilicet ad vuas nequit, concludo, plane vuas cessare et

f) in *Frägm. Institut.* Lib. 2. tit. 1. §. 5.

g) de *fectis Sabinian. et Proculian.* cap. ix. §. 27. p. 249. seq.

b) in c. l. 12. §. 3.

i) in §. 25. l. de *Rer. divisione.*

k) c. l. 2.



et cum iis viuarum obligationes et iura, mustum! vero nō
tum quasi corpus haberi, quod primum iam existere incipit
atque antea non erat, ergo mustum nemini poterat esse obli-
gatum, nec creditori ius pignoris competere. Et haec con-
ueniunt, quae in superiori §. rationem continebant, scilicet
aliud est materia aliud est nauis, quae species apud stoicum
philosophum SENECA M¹⁾. haud aliter decisā est. Nam
*ligna, inquit, nihil uoui conferunt, quamvis non fiat nauis
sive lignis.*

§. XV.

Sed quid? *si messis oppignorata*; nemo dubitat fruges
primario oppignoratas esse. Sed si a fundo separantur, an in
re oppignorata mutatio fiat, quaerendum est. Negandum
omnino videtur, quippe per frumentorum dissectionem at-
que separationem messis absoluatur. At vero, si grana ex
spicis excutiantur, forsitan mutatio fiet. Neque id adfirma-
ri poterit ob auctoritatem C A I I m²⁾). Ait: *Videntur tamen
mibi recte quidam dixisse, non deberi dubitari, quin alienis
spicis excussum frumentum eius sit, cuius et spicae fue-
runt. Cum enim grana, quae spicis continentur, per-
fectam habeant suam speciem: qui excusfit spicas NON NO-
VAM SPECIEM facit, sed eam, quae est, DETEGIT.* Si
ergo excusso frumento noua non sit species creditori ad hoc
faluim ius erit pignoris. Iam vero ponamus ex frumentis
farinam molendinarum ope confici a tertio possidente, viden-
dum est, an creditori etiam ius pignoris in ipsa farina compe-
tit. Si eam rationem sequamur, quam supra in specificatio-
ne posuimus, verior est sententia, quae amplius creditori
ius pignoris negat. Si enim noua species producitur, quae

C 2 ad

1) epist. LXXXVIII.

2) in L.7. §.7. D. acquir. rer. dom.



ad suam pristinam causam reuerti nequit, qualis farina, quae in grana reuerti nequit, applicari potest argumentum, quod de naue adposuerat PAVLLVS, aliud est materia, aliud est farina seu noua species ex ea materia efformata; quae cum antea non fuit; sed esse incipit, pignori obligata esse nequit.

§. XVI.

Adhuc aliam dabimus speciem. Lanam oppignoratam creditori concipiamus, hanc si vel debtor ipse possideat, vel tertio vendiderit, saluum erit creditori ius pignoris, neque dubitandum, eundem hypothecaria actione pignus sium, seu lanam persequi posse. Sed quid, si lana illa tincta fuerit? Neque noua species efformata, potius lana permanet, licet tincta sit, neque dubitandum creditori adhuc saluum pignoris ius fore. Fingamus vero, ex ea lana vestimentum factum esse. Iam nouam habebis speciem, neque amplius lana est, quamvis vestimentum ex lana confectionum sit. Eodem ergo vt amur argumento, quippe lana esse desit, desit quoque pignoris ius, eaque noua species, quae ad pristinam ruditatem lanae vix reduci potest, existere saltem incepit, quare nec in ea, videlicet vestimento aliqua existere potest obligatio, vel pignoris ius creditori competens, nisi nouiter illud constituantur. Sed tunc nouum pignus esset, non illud quod antea creditori in lana competitabat.

§. XVII.

Hactenus de iis speciebus differuimus, in quibus specificatione facta noua species ad pristinam causam reduci non poterat. Iam aliam causam tractabimus, scilicet, quid iuris sit,

Ist, si ea quae nouiter producta sit species, possit ad priorem redire causam. Oppignorauit debitor aurum argentumue infectum, eoque creditorem reddidit securum, postea op-pignorati argenti aurie naectus possessionem vendit aurifabro, qui scyphos vel alia vasā ex ea materia per specifica-tionem efformat, recte quaerendum est, an et noua illa spe-cie producta creditoris ius pignoris expiret. Secundum ve-ro ea, quae proponuntur, creditoris ius saluum fore censem. Cedo vtique, si debitor aurum argentumue a creditore red-ditum acceperit ea intentione, ut pignoris ius remissum sit, ne-que ullum ius creditori in vasā competere potest, cum eo tem-pore cum venderetur materia creditori ius amplius non com-peteret. Sed de hac non disputamus specie. Species pot-ius, quae a nobis tractatur, ponit inscio creditore pignus venditum fuisse; Et haec posita specie, videmur recte credi-tori ius pignoris seruasse. Nam si debitor naectus fit oppi-gnorati auri argenteue possessionem, saluum est creditori pignoris ius. Quod si ergo vendit debitor aurum argen-tumue, emtor plus iuris consequi nequit, quam quantum venditor transferre potuit. Potuit itaque dominium rei in illum transference, sed rei tantum oppignoratae. Liberum itaque creditori erat a tertio possessore, videlicet emtore illud argentum atque aurum oppignoratum hypothecaria aetione persequeui. Si vero scyphos aliaque vasā exinde confecerit tertius ille possessor, negandum non est, nouam quidem speciem productam, at, cum ad pristinam suam materiam scyphi atque illa vasā reduci possint et in hac specie materia potior habeatur forma, censiri vtique potest creditorem non minus scyphos atque vasā illa hypothecaria aetione perse-qui posse, saluo possessoris iure, ut ad priorem ruditatem argenti aurie reducat. Neque obstat, si creditor vasā illa aurea persequeui velit hypothecaria aetione, eum plus con-secuturum, quam quantum in pignore fuerat cum et formae-



pretium inesse soleat. Sed sicut supra in alia specie, ubi fundum restitutum atque pretiosiore ratione exaedificatum nihilominus persequebatur creditor, ut §. xi. docuimus, siadente PAVLLO, vt possessor ille tertius a creditore id consequeretur, quanti fundus pretiosior factus; ita in nostra specie et possessor tertius, si ad priorem materiam nolit reducere, consente nti creditore poterit formae pretium exigere, quippe auri argenteique pretium forma auctum fuit, vel si nolit, eo respiciendum est: aut debitor soluit postea, eoque liberat pignora, scyphos et vasa recipit tertius possessor, aut non soluit debitor atque ex pignoris iure creditor vendit; vendere utique poterit, sed iusto pretio, et in proposita specie non tantum auri argenteique pretio, sed formae et cum ea laboris simul habita ratione. Quo facto suum, quod ipsi debetur, creditor dedit, eaque quae debitum excedunt rei oppignoratae venditaeque domino restituit: et sic possessor tertius vix formae nouae detrimentum patietur, quamvis tantum in pretio auri argenteue amittat, quantum erat pignoris iure obligatum.

§. XVIII.

Possimus alias addere species ad illustrandum thema nostrum, sed sufficere arbitramur, quippe facile ex his appareat, in quibus rei oppignoratae mutationibus MARCIANI regula valeat, in quibus contra fallat suumque perdat officium. Liceat tamen plane aliam adiicere immutationis speciem, quae singularis plane est ratione mutationis, et videamus, an in ea quoque faluum sit creditor ius pignoris. Fac Titium habere fundum pignoris seu hypothecae iure obligatum creditor. Princeps, cui necesse videtur munimenta noua exstruere ad publicam securitatem curandam et conservandam, hunc Titii fundum Caio oppignoratum ita situm arbitra-

arbitratū, vt in eo noua munimenta exstrūi commode atque vtiliter possint; quapropter eundem fundum Titii siue volente siue nolente Titio ad exstruenda munimenta acquirendum statuit. Dabimus Titium, probe scientem, se ad vendendum propter publicam vtilitatem cogi posse, sponte Principi offerre fundum atque vendere incio tamen ipso creditore. Diruto aedificio munimenta in eo solo exstruuntur. Quaerendum est, an et in solo et in munimentis saluum creditori pignor adhuc ius vindicemus. Evidem debitor non potest creditori ius suum inuito eripere vendendo fundum oppignoratum, vt forsan videatur saluum esse posse, cum in alienationem haud consenserit; sed rebus sic stantibus verius est, creditorem ius suum amittere, siue fundus obligatus sit iure hypothecae, siue eundem iure pignoris possideat creditor. Simulac enim fundus emtus fit a principe ad munimenta imponenda, fit publicus ex auctoritate principis, sicque *extra priuatorum commercium* constituitur. Cum praeterea iusto modo acquisuerit princeps, nexus ille priuatus principem stringere nequit, praecipue cum necessitas et securitas vrgeat acquisitionem. Et cum priuatum interesse publico semper postponendum sit, ipse creditor tenetur *priuatum interesse sua securitatis* postponere *securitati publicae*. Quare et si necessitas suadeat, ipse creditor vero oppignoratum fundum possideat, cogi poterit, vt suo iure cedat atque principi fundum tradat ad exstruenda munimenta, cum adhuc ipsi saluum sit agere vel principali actione ad consequendum debitum, vel si non possit ea experiri, pignoratitia contraria, ad aliud pignus consequendum. Aliter vero sentiendum videtur, si occupata ab hoste terra ipsem et viator fundum occuparet oppignoratum, suaequae securitatis caussa diruto aedificio fundi formam mutaret atque munimentum impuneret, si postea vel hostis depellatur, vel terram occupatam



tam deserat, sicuti iure postliminii quasi fundus ad priorem dominum reuertitur, ita dubitandum non est, hanc fundi oppignorati immutationem creditor iocere non posse, sed pignoris ius iure quasi postliminii ad creditorem reuerti. Vellem equidem et alia argumenta et alias adhuc species addere, sed sicuti libelli breuitas utrumque haud permittit, ita L. B. decenter rogo, si haud omnia suo ingenio atque iudicio probanda putet, ea, quae displiceant iuuenili ingenio atque arti non satis exercitatae tribuat.



GENE-

GENEROSISSIMO ELEGANTISSIMAE
HVIUS DISSERTATIONIS
AVCTORI
S. D.
CAROLVS FRIDERIC. WALCHIVS, D.

Si in mentem reuoco singulare tuum in disputando acumen, in certaminibus priuatis saepius mihi comprobatum, ac simul reproto, quantum liqueat tua cum litteris humanioribus aequae ac iure ciuili familiaritas ex libello hoc docte conscripto, quem iure tibi solum tribuere potes: non opus tibi esse arbitror tutela mea, in confictu, quem meditaris publico. Verumtamen eam, benigne mihi oblatam, libens suscipio, ut testis sim ac spectator laudis eximiae, quam ille tibi conciliabit et animo praesentio iucundum profecto spectaculum quod pugna haec non solum mihi; sed omnibus aliis tuis praceptoribus, quos adiisti, praebebit, si in eam videbimus descendere iuuenem nobilem, qui nobilitatem suam a maioribus acceptam morum elegancia atque praeclara cupiditate in litteris proficiendi, illustrat et, quam de se iam dudum omnibus mouit exspectationem sustinet ac tuerit eumque pugnare deprehendimus cum aduersariis litteratissimis instar gladiatoriis veterani. Laetitiam, quam ex fortunatissimo hoc studiorum statu percipio, exprimere non possum; neque eum solum tibi; sed etiam per illum trium matris, matronae generis splendore, pietate aliisque eximiis sui sexus dotibus praestanti: immo toti tuae splendidissimae genti gratulor cuius aliquando decus te fore ac ornamentum, certissime sum persuasus. Commendo me tuae, qua me adhuc prosequutus es benevolentiae et ut omnia fauste, feliciter, ac fortunate tibi succedant, ex animo precor. Ienae d. xxiiii. Sept.

CIOCCCLXIII.

D

VIRO



V I R O
GENEROSISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
S. D. P.
IVSTVS CHRIST. LVD. DE SCHELLWITZ P. O.

Summam omnino laudem meretur singularis plane industria et honesta ambitio, quam semper huc usque in academia hacce practicisti, cuiusque optimus testis est doctissimus libellus, quem in lucem emisisti publicam et nunc strenue defendes. Neque enim contentus fuisti, quod iis, quibus tecum conuersari contigit, egregios in iure profectus priuatim monstraueris, sed etiam in publicum eosdem exhibendos esse statuisti. Quidni ergo in isto conflictu, ex quo maximam certissime laudem reportabis, contradicentis spartam lubens suscipere deberem? Faxit ille, qui omnia potest, ut quicquid moliris, in tuam salutem, in perillustris gentis tuae delectationem, in reip. commodum et in IDEI gloriam succedat. Caeterum rogo, ut me tibi habeas commendatissimum.

GENE-

VIRO

D

GENEROSISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

D. HENR. GODOFR. SCHEIDEMANTEL P. P.

*JOANNES GOTTFREDUS
SCHEIDEMANTEL*

Singularis atque egregia tua diligentia in meis etiam recitationibus luculentissime demonstrata; tuaque morum elegancia ac castitas, ut omnes ita me quoque totum tibi reddiderunt. Iam vero comite indiuulso nexu tecum coniuncta, praeclara incedis eruditione, eiusdemque publica non modo sed et praestantissima præbes documenta. Multum igitur distas a lepidissimis illis, qui externis solum gestibus innutriti, splendidis vestibus nec non compositis et delibutis capillis, ingenio vero atque prudentia parum exulta, aulam ingrediuntur, casuique fortuito suam proflus committunt felicitatem. Interim autem optima quaevis ex animo integerrimo tibi adprecor et qua docet obseruantia te rogo, ut me tibi semper habeas commen-

datissimum. Vale. Dabam Ienae d. x. Septembr.

A. O. R. CICOCCLXVIII.

D 2

MON-



VIRO GENEROSISSIMO
AVCTORI ET RESPONDENTI
DOCTISSIMO

S. D. P.

IOANNES GOTTLIB BÜTTNER

ART. MAGISTER MORVMQVE EPHORVS

Si quod vñquam officium dulce a me explendum fuit, hoc sa-
ne est, quod his literis continetur. Summa haec mea fuit feli-
citas, qua TVVS, GENEROSISSIME RESPONDENS in hu-
manioribus literis animus formandus mihi committebatur. Mi-
rabar eo tempore foleriam sumamque industriam TVAM dis-
cendique cupiditatem simulque sperabam, fore, vt auitam gene-
ris gloriam nouo splendore aliquando austurus sis. Gratia GE-
NEROSISSIMAE MATRIS regenda studia TVA Academica mi-
hi committebantur, cum socium tessemque simul gratiosissime
esse me vellet. Augebatur mea felicitas cum, quod antea spe-
raueram, euenire perciperem. Fui profecto testis assidui TVI
studii atque diligentiae in apprehendendis iis literis, quae GE-
NEROSVM IVVENEM non ornant tantum, verum etiam ad
republicam capessendam praeparant eumque aptum reddunt,
quo summa munera in republica et in utilitatem ipsius atque ci-
vium

uium emolumenatum ad ministrare, stemmatis vero gloriam aui-
tam conseruare atque tueri possit. Quanta **VIR GENEROSIS-**
SIME possem amplius in **TUA MOD** laudem adscribere nisi et gene-
rosa **TUA** verecundia me coerceret, quo minus eam laetam, qui
scio **TE** mereri malle laudem, quam ab illaudatis laudari. Dein
forsitan **TIBI** a me dicta laus partium studii suspicionem excitare
posset, nisi specimen singularis atque rarioris diligentiae, quod
publice hodie edis huius suspicionis metum depelleret. Qua-
propter hoc potius, quod mei iam officii est agam, ne videar, lau-
dis, quam publice consecutus es ex merito tantum praecconom
agere. Gratulor itaque ex animo, quem **TIBI** scis deditissi-
mum gloriam partam praemium assiduitatis atque industriae in
studia collocatae, non **TIBI** vero tantum, verum **STIRPI GE-**
NEROSSIIMAE optans, velit diuina Prouidentia **TE** in splen-
dorem atque ornamentum **GENEROSSIIMAE DOMVS** con-
seruare, iisque, quae **TUA** virtus **TUAQUE** studia merentur ho-
noribus ornare omnique felicitate cumulare. Quodsi euenerit,
quod in votis est, hoc vnicum superesse videtur, ut **TE** rogem,
velis mei memoriam commendatam habere meaque in **TE** studia

semper comprobare. Vale et vale feliciter. Dabam Ienae

d, XXIII. Sept. CCCCCCLXVIII.



MONSIEUR

Il y a quelque tems que j'ai l'honneur de Vous connoître et de profiter de Vos sciences solides de la Iurisprudence. C'est par où j'ai été convaincu du grand mérite qui Vous orne. Mais que de matières pour faire retentir Vos louanges! Bien loin de Vous pouvoir rendre justice par là, je ne dis que trop peu. Aujourd'hui Vous allez, convaincre tout le monde de la vérité de ce que je viens de dire. En Vous remerciant de la bonté que Vous avez eu de m'offrir la charge d'opposant, je me recommande en Votre bienveillance. Enfin permettez moi que je souhaite que le bon Dieu accomplisse les voeux ardents que je fais pour Votre conservation jusqu'au terme le plus éloigné où les hommes puissent parvenir. Je fais gloire d'être avec toutes sortes d'estime et de tendresse

MONSIEUR,

à Iene
le 23. Septembre
1769.

Votre très humble et très obéissant serviteur et ami

I. B. C. EICHMANN, de Weimar
Etud. en droit.



ULB Halle
004 526 880

3



Sb

KD78

Farbkarte #13

B.I.G.



TIO IVRIDICA

DE

**EDITORIS 23
TATA
GNORATA**

QVAM

E S I D E

ERICO WALCHIO

PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
OMMVNIS SCABINOR. COLLEGII ET
RE HVIVSQUE H. T. DECANO SOCIET.
T FLORENTINAE COLVMBARIAE
IENS. LITTER. COLLEGA

C I C I O C C L X V I I I .

DEFENDET

C T O R

ADOLPHVS TRVTZSCHLER
O - ELECTORAL.

N A E

T R A V S S I A N I S .

3,125

2067

1769, 11

23